

crementitii cum sanguine, unde quidam febrem catarrhalem, generari volunt, quando scilicet natura ad humoris superflui expulsionem acrius commovetur, & commoti humores & spiritus vehementer accenduntur. Hinc catarrhum inter febris ephemerae causas referunt, talesque ante invasionem arthritidis aut erysipelatos eruptionem saepissime contingere statuunt practici. Specialissime vero recentiores per catarrhum intelligunt copiosum laticis vitiosi defluxum in nares, fauces, laryngem & pulmones.

DEFINITUR catarrhus quod sit copiosa defluxio humoris serosi e capite in proximè subjectas partes.

GENERIS locum obtinet defluxio, quæ formalem etiam rationem constituit. Per defluxionem humoris *Helmontius* spagiricorum patriarcha, uti *nobilissimus Boyle Chimista sceptic. partit. s. p. 224.* non veretur eum vocare, & qui teste excell. *J. D. Horstio partit. 1. manuduct. ad medicin. c. 2. artic. 1. Sect. 2. p. 1. pag. 156.* multa exponit, quæ pauci ante eum notarunt, cujus effato eminentissimus *Tackius* quoque album addit calculum *epist. ad Horstium de chirurgia infusoria p. m. 116.* non intelligit unum, ex quaternario humorum, quos in morborum scenam introduxerunt scholæ humoristicae Doctores, cum in naturâ nunquam extiterit quaternarius humorum numerus quod demonstrasse se putat *tract. de lactice §. 3. & alibi;* sed serum veterum, laticem, lympham cum *Rudbeckio & Bartholino*, aquam nobilem ac fluctuantem, cum *Zassio*, succum nutritium cum *Anglis*, rorem cum *Bilsio*.

DIFFERENTIA SPECIFICA indigitatur per vocem τὸ copiosa. Evidenter enim catarrhi laticis abundantiam morborum matrem arguunt.

CAPUT III

partem affectam enucleat.

DUPLEX SUBJECTUM considerandum venit, alterum COLLECTI-
ONIS IN QUO, alterum DEFLUXIONIS seu AD QUOD.

A SUMMO